



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICAL *LULUABURGENSIS-KABINDAËNSIS*  
*(MBUJI-MAYENSIS)*\* DETRACTIS QUIBUSDAM TERRITORIIS AB ECCLESIIS LULUABURGENSI ET  
KABINDAËNSI, NOVA DIOECESIS CONDITUR, «*MBUJI-MAYENSIS*» NOMINE. Qui benignissimo Dei consilio  
et voluntate eam ob unam causam in Ecclesiae suae fastigio constituti sumus, ut credentium in  
Christum curam ageremus, in hoc semper tantum studii tantamque operam collocavimus quantum  
pater, cui nihil stat caterva filiorum pretiosius, in familia sua administranda. Quam ob rem, cum  
Sacra Congregatio de Propaganda Fide, de sententia venerabilis Fratris Ioannis Baptistae Maury,  
Archiepiscopi titulo Laodicensis in Phrygia et Apostolici in Congo Nuntii, id statu erit ut distractis  
nonnullis territoriis ab Ecclesiis Luluaburgensi et Kabindaënsi nova quaedam constitueretur  
dioecesis, Nos auditis quos oporteret, hanc sententiam probantes ratamque habentes, haec  
decernimus atque iubemus. A territorio archidioecesis Luluaburgensis districtum civilem, ut dicunt,  
de Bakwanga separamus; item a dioecesi Kabindaënsi districtus de Gandajika et de Mwene-Ditu;  
quos omnes in formam dioecesis redigimus, quae Mbuji-Mayensis appellabitur, quaeque clero  
saeculari administranda atque gubernanda committetur. Hanc, praeterea, Sedi metropolitanae  
Luluaburgensi tamquam suffraganeam submittimus. Ad cetera quod pertinet: regimen,  
administrationem, electionem Vicarii Capitularis, sede vacante, haec legibus Iuris Canonici  
temperentur. Nimirum, haec quae mandavimus venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury fieri  
studebit, vel quem ipse delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla  
ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et  
in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis  
quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis  
efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem  
derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel  
corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu  
exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo  
publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si  
ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Maii, anno Domini millesimo nonagesimo sexto,  
Pontificatus Nostri tertio.*

*Pro S. R. E. Cancellario*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN

*S. Congr. de Prop. Fide Praefectus*

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Franciscus H. Ferretti, Proton. Apost. Decanus*

Sylvius Romani, *Proton.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 13, pp. 865-866 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana